


DE  
APHTHIS INFANTVM



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

PRAESIDE

IOHANNES GOTTFRIED  
LEONHARDI

AA. LL. M. PHILOS. ET MED. DOCT. PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O.  
ACAD. IMPER. NATVR. CVRIOSORVM COLLEGA SOCIETATIS REI  
METALLICAE EXCOLENDAE SODALI EXTRAORDINAR.  
ET OECON. LIPS. MEMBR. HONORAR.

PRO

L I C E N T I A

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES CAPESSENDI


A. D. XXXI. AVGVSTI MDCCCXC.

DEFENDET

A V C T O R

IOANNES PETRVS WOOST

LEVVICIO - MISNICVS.  
MEDICINAE CANDIDATVS.



VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

thol. spe

04, 16

Med. p. 564

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized into several lines or paragraphs.



§. I.  
*Instituti Ratio.*

**Q**uamuis omnino et fuerint olim et sint etiamnunc inter medicos probatae eruditionis multique vsus et amplissimi nominis haud pauci, qui oratione pariter atque re ipsa, vt GVALTERI HARRISII <sup>a)</sup> verbis vtar, palam profiteantur, se pueris aegrotis, ac praesertim recens natis, visitandis aduocatos, inuita quidem Minerua, tanquam ad mysterium, nescio quod, euoluendum aut insanabilem affectum sanandum, plumbeis pedibus accedere solitos, quorum sese auctoritate et exemplo impelli et ab hac artis suae faciundae parte attingenda retineri patiatur facile medicus recens, nullius nominis parumque exercitatus; quamuis etiam prima fronte res videatur admodum ardua atque taediosa, quinimmo ambigua et plena discriminis, statuere velle de remediis malorum, quorum vt videtur, neque praesentiam semper inuestigare rite patitur tenellorum proteruus vagitus, neque naturam expiscari rudis ipsorum infantia: nihilo tamen minus medicus

A 2

sive

a) Tract. de morbis acutis infantum. Gen. 1696. 4. p. 1.



siue tiro siue veteranus nihil habet amplius, quo tueri possit suam in ope infantibus vel ferenda cunctationem, vel neganda inhumanitatem, ex quo innotuit planissime indubitatissimisque confirmatum est obseruationibus atque GVALTERI, quem iam laudauimus, HARRISII <sup>b)</sup> NICOLAI ROSENII DE ROSENSTEIN <sup>c)</sup> IOHANNIS AVGVSTI VNZERI <sup>d)</sup>, GEORGII ARMSTRONGII <sup>e)</sup> aliorumque virorum <sup>f)</sup> clarissimorum testimoniis vindicatum; tenellorum morbos, etsi facie prima maxime multiplices, paucissimos tantum rarissimeque complicatos, a que caussis cooriri solitos neque tam copiosis, neque adeo diuersis, gradu fere potius, quam natura differre multoque, si modo sanationem admittant, facilioris esse tutiorisque curationis, atque adeo longe compendiosiore requirere medicamentorum aliorumque valetudinis restituendae subsidiorum apparatus, quam morbos adultorum. Quae quidem cogitatio sicuti iam me, licentiam summorum in medicina honorum quondam petiturum atque de doctrinae qualiscunque collectae specimine publice edendo meditatam, ita quidem excitauit, vt argumentum libelli inauguralis petere ex infantum potius, quam adultorum morbis constituerem, parum scilicet confusus viribus meis nondumque vsu expertus, quid valeant hume-

<sup>b)</sup> l. c. p. 2.

<sup>c)</sup> Id quidem ex vniuerso Ipsius intelligas libro, quem ex sueco sermone in vernaculum translatum egregiisque adnotationibus auctum repetitis iam vt notissimum est, edidit vicibus IOHAN. ANDREAS MYRRAY, Gottingensium professor celeberrimus.

<sup>d)</sup> Vid. dessen *medicinisches Handbuch nach den Grundsätzen seiner Wochenschrift der Arzt betitelt von neuen* ausgearb. No. 13. 14.

<sup>e)</sup> Essay on the diseases most fatal to Infants &c. London 1767. 8. p. 14. *Versuch von den vorzüglichsten und gefährlichsten Kinderkrankheiten, &c.* Zelle 1769. 8. S.

<sup>f)</sup> v. c. S. D. S. Tissot *Avis au peuple* c. XXVII. §. 377.



humeri, quid ferre recusent. Cognoui vero, quum de infantum aphthis scribendi consilium iniissem, quoniam per breue illud tempus, quod in aegrotis visendis et diiudicandis consumere mihi licuit, eo morbi genere laborantes infantulos complures videram, et in eorum corporibus remediorum a praeceptoribus fidissimis quondam commendatorum efficaciam non sine fructu tentaueram, in consilio capto perficiendo constitutus saepe numero, quam ego vel in isto opere in me susceperim negotium arduum et difficile, vtpote neque in scribendi arte satis versatus, neque ad reliquae medicinae vniuersae cum loco, quem tractarem, merito conferendae opes expromendas satis promptus, neque auctorum, qui idem argumentum vel ex instituto elaborarunt <sup>g)</sup>, vel in transitu attigerunt, lectione satis tum confirmatus. Quinimmo quum mihi innotesceret adeo, quamuis paullo serius, IVSTI ARNEMANNI, Professoris apud Gottingenses medicinae publici celebratissimi, commentatio de aphthis, quae ab illustri regia societate medicorum Parisiensi ad XXV. Augusti MDCCCLXXXVII. palmam alteram obtinuit <sup>h)</sup> ab incepto labore fere prorsus desistendum mihi esse primo quidem arbitrabar. Cunctis tamen denuo apud animum diligentius trutinatis, beneque perpendens, quod quemcunque demum ex medicis disciplinis locum, specimi-

A 3

nis

g) Huc imprimis pertinent VINCENTII KETELAER Commentarius Medicus de Aphthis nostratibus Lugd. Bat. 1672. 12mo. qui liber etfi aphthas Belgicas adutorum maxime pertractat, multum tamen quoque illustrat aphthas infantum. IO. HADRIANI SLEVOGT de aphthis Diss. Jen. 1706. DIEZ diss. de aphthis Erf. 1771. I. C. STARCK *Abhandl. von den Schwämmchen nebst einer Uebersetzung des KETELAERS und SLEVOGTS von den Schwämmchen, mit nöthigen Anmerkungen begleitet.* Jen. 1784. 8. Bücking in illust. ERN. GOTTF. BALDINGER *Neuen Magazine für Aerzte*, B. VI. Stück 3. No. 1. S. 193-212.

h) Prodiit Gotting. 1787. 8.



nis caussa exponendum mihi sumerem tiro, eundem tractatum ab aliis iam retractatumque saepius forte multo infecilius sim aggressurus, quam istum ipsum, ad quem studio meo primo abripiebar, quodque non tam nouarum rerum dicendarum copia, quam recte et ita, vt lectores agnoscant, me ab aliis tradita rite percepisse et meditando mea fecisse, enunciarum commoditate opus sit, pristini propositi tenax, aphtharum infantilium pathologiam et therapiam ita quidem enarrare decreui, vt ad adultorum apthas non nisi tunc respicerem, quando illustrationi infantilium inferuire quodammodo posse mihi viderentur.

§. II.

*Aphtharum nosologia.*

Intelligunt autem cum vetustissimis medicinae parentibus moderni medici fere omnes sub aphtharum infantilium nomine vlcuscula illa paruula, rotunda et superficiaria, quae os infantum internum partesque internas continuas aliquando omnes, quas primarum viarum nomine compellare solemus, occupare solent. Quamuis enim aphtharum vocabulum omnino fuerit a veteribus nonnunquam ad vlcera aliarum quoque partium superficiaria translatum <sup>d)</sup> quod eodem iure fecisse videntur, quo oedematis nomen tumori cuius imposuerunt: exponunt tamen eandem hanc vocem eo fere, quo ipse feci modo omnes <sup>e)</sup>. Vnus, quantum noui, ARNEMANNVS <sup>f)</sup> etiam

vt

d) Sic Auctor libr. Hippocratic. de morbis II. n. 126. Ed. ANVT. FOESIO Op. T. I. p. 478. scribit: ἢν ἀφθῆσι ἢ σύριγγι τῆ πλεύμονος. Si vlcere feruido et superficiario pulmonis fistula laborarit; et istius de natur. muliebr. ἢν παιδὶς ἀφθα τὰ αἰδοῖα. item GALENVS περι συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τοπ. Lib. IX. exeunte, διδύμης ἀφθῶντας commemorat. Male enim Basileensis 1538. fol. edit. To. II. p. 305. ἀφθόνες legit.

e) Τὰς ἐπιπολῆς ἐλκώσεις ἐν τῷ σώματι γιγνομένας ὀνομάζουσιν ἀφθας, GATEN.



vt opus est, concedit, esse quoddam aphtharum genus, vlcero-  
rosarum nomine insigniendum; in genere tamen neque vlcus-  
cula, neque exulcerationes, neque pustulas aphthas recte dici  
existimat, quandoquidem pustularum conditio exigat, vt in  
apice suppurentur vel in pus abeant, quod vero rarius fieri  
soleat; vlcusculi vero itidem sit, vt in ipso pus reperiatur,  
quo nequaquam aphthae semper omnes, sed serosa potius ple-  
rumque colluue scateant. Arridet proinde ipsi potius aph-  
thas vocare tumores superficialios, rotundos, diametri exi-  
guae, vt milii aut cannabis semen magnitudine vix excedant,  
seroso quodam liquore refertos, in squamas denique furfura-  
ceas abeuntes, acriter dolentes. Quod si vero posthabito o-  
mni partium studio perpendimus, a probatissimis omnis aevi  
auctoribus medicis vlcus vocari quamuis in parte molli ob-  
uenientem continui solutionem, quae non semper pus, sed ali-  
quando etiam siue ichorem siue alium quemcunque succum  
acrem et corruptum foueat fundatque, meritoque vlcerosi  
morbis annumerari herpetem, tum farinosum, tum pustulo-  
sum, tum miliarem, tum verò exedentem, quibus cum mor-  
bi

LEN. l. c. lib. 6. Ed. Basil. Tom. II. p. 252. αἱ μὲν ἔν ἀφθαί κατὰ τὸ  
σώμα γίνονται συνεχῶς τοῖς παιδίοις, ἑλκῶσις ἐπιπόλαιος ἔσται. IDEM Com.  
III. in libr. III. Epid. T. III. p. 420. ἀφθα εἰσὶν ἑλκῶσις ἐπιπόλαιος ἐν  
σώματι γιγνομένη ἐπιπόλαιος δὲ αὐτῆ ἡ ἑλκῶσις μάλιστα παιδίοις. IDEM  
Defin. Med. v. T. IV. p. 400. Ex his similibusque locis, quorum com-  
plura laudare possemus, satis apparet, Exp. BÜCKING l. c. p. 209. erras-  
se, quum assereret, veteres sub aphtharum nomine innuisse morbum  
oris vlcusculosum, sed ab illis infantum papulis diuersum. Scilicet  
vtrumque morbum communi appellarunt nomine, vt tamen diuturniorem,  
profundius exulcerantem et semper vltius serpentem, quem BUCKING-  
GIVS V. Cl. innuit, speciatim nomen ἢ νομίαν dicerent. Conf. AETIUS  
Serm. VIII. c. 39.

f) l. c. p. 12. f. BUCKINGIVS (l. c. p. 194.) eleuationes paruulas vesiculosas  
et incrassationes epidermidis dixit, consistentiae spongiosae &c.



bi formis aphtharum infantilium variae formae egregie conueniunt; tumores vero potius esse partis cuiusdam corporis magnitudinem praeter naturam et cum continuitate quadam auctam: non adeo puto amplius ambiguum esse posse, tumoresne velimus aphthas an vero potius vlcuscula dicere. Manebit, sicuti arbitror, etiam hac in re antiquitati auctorumque praestantissimorum consensui ea vis persuadendi, vt ab eorum sententia rationibus parum mouentibus deflectere non adeo facile liceat. Quod si tamen, missa litigatione, genus debetam aptissimum aphtharum definitioni ponere, papulas dixerim. Aphthae sunt papulae oris interni paruulae, dolentes, plenae succo acri, qui epithelion incrassatum in crustas sensim exedunt furfuraceas. <sup>m)</sup>

§. III.

*Aphtharum diuersae formae; maxime istae oris et faucium.*

Iam eiusmodi aphtharum, in infantum ore comparentium, formas equidem facio, ob sedem variam, quam vna occupant, tres: vnam oris modo et faucium, alteram totius insuper canalibus primarum viarum, tertiam ad vias adeo aereas vsque excurrentem: ob relationem vero ad alia mala, quae simul occurrere possunt, duas tantum, nimirum *simplices* s. *idiopathicas* et *complicatas* s. *symptomaticas*.

Oris et faucium aphthas, vtpote oculis obuias, nemo in dubitationem adduxit vnquam. Accidunt recens natis infan-

<sup>m)</sup> Saxoniae inferioris incolae dicunt *Foss*, *Fasch*, *Kurfos*, *Soor*, *Mundföhr* v. BÜCKING l. c. 119.) *Mehlhund* (SAM. GOTTL. VOGEL *Handb. der praktischen Arzn.* III. 257.) Gallis *Aphthes* Anglis *Thrush*; Batavis *Mondgezweer*, de *Sprouw* vocantur. *Alcolas* barbaris dici narrat NICOLAUS PRISO (de cognosc. et curandis G. H. morbis Lib. I. c. XLIX.)





fantibus pariter altera vel tertia aetatis hebdomade; atque dentientibus paullo serius. Comparent primo vt stigmata alba, inde vt papulae miliares, in vniuerso ore, ita vt aliquando neque gingiuis, neque buccis, neque linguae, neque palato, neque velo eius, neque vuulae parcant et ad extrema labia vsque producantur. Vbi simplices sunt, coloris sunt albi, ab initio adeo suppellucidae, discretae et sparsae, tenues, molles, humidulae, facile cedentes, prurientes et calentes modice et subinflammatae nullaque stipatae sunt febre nullisque cacochymiae cuiusdam signis comitatae. Quamuis enim Clarissimus STARCKIUS <sup>n)</sup> asserat: se neque in adultis neque in infantibus vnquam aphthas sine motibus febrilibus quibusdam, quantuliscunque demum illis, exortas obseruasse; atque adeo prouocet ad adulatorum, febris sibimet ipsis quidem expertium visorum, languorem artuum, extremitatum frigus, horrorem clandestinum, vesperique subnascentem calorem, ceu indubitata febris documenta: nihilo tamen minus, sicuti nisi pulsus frequentia cum allatis valetudinis affectionibus occurrat, febris certissime abest; ita quoque SWITENIUS <sup>o)</sup> et BVCKINGIUS <sup>p)</sup> et ARNEMANNVS <sup>q)</sup>, Viri Experientissimi, aphthas aliquando, imprimisque infantiles absque febre esse monuerunt, egoque aliquoties ipse infantes aphthis laborantes vidi, qui sine vlllo febrilium symptomatum decursu breui morbi curriculo absoluerentur. Simplicissimae hae aphthae etiam neque ori  
alumni

n) l. c. S. 164.

o) Comm. in BOERHAVII aphor. To. III. p. 201.

p) l. c. p. 194.

q) l. c. p. 19. Item A. CORNELIUS CELSVS de Med. Lib. VI. c. XI. cognouit, sine febre esse posse aphthas infantum, quas oris vlcera, alibi etiam Lib. II. c. I. *serpentia oris vlcera* dicit, forte nomen innuens.

B



alumni neque papillae nutricis adeo molestae sunt; neque halitus oris vel odor alienatus vel calor, praeterquam in ore, singulariter auctus esse solet. Suctio tamen redditur difficilis atque hinc inter vagitus pusio papillam non raro vel prorsus respuit, vel vix ore receptam dimittit. Neque harum aphtharum adeo longa est duratio. Nam aliquando eodem, quo surgebant, die vel postridie etiam cedunt; aliquando parum ultra octiduum protrahuntur. Quotiescunque vero aphthae complicatae aliusque morbi intestinalis, scorbutici, venerei, maligni, comites sunt, non modo antequam prorumpunt, valetudinem laesam symptomata varia nunciant, verum etiam iam egressis singulares affectiones sese associant. Primarum viarum saburrae iunctas, antequam progerminant, indicat oris infantuli halitus, siue acidus siue foetidus; linguae labiorumque aridior incalescentia; somnus expauescentia perturbatus vel vigiliis et vagitibus implacabilibus interruptus; deiectiones alui caseosae, acidae, foetidae, sub egressu iam aut tum in linteis paulisper seruantur viridescentes, subruentae; pulsus frequentior cum aliis insultus febrilis siue intermittens siue continui symptomatis. Quae quidem mala prodeuntibus aphthis, quas criticas dicere possis, leniri rarissimum est. Permanentibus potius iisdem adiunguntur frequentissime tum molesta lactentium suctio, ad oris haud raro cruentationem usque infesta, quinimmo ita prorsus impedita, vt papillam lactifluam, labiorum linguaeque arentium horridam superficiem irrigantem, neque raro ex similium vlcusculorum contagione cum totius mammae inflammationis periculo; ex lactatus intermisso officio cooriente, infectam alumnus respuat; tum impedita deglutitio. Quamobrem non modo ex pruritu et calore sed etiam ex siti fameque dolentis vagitus fere interdum est noctuque continuus nitensque corporis dignitas, siue

in

in vtero collecta, siue laeto acquisita lactatu ita sensim ex integro perit, vt flaccescentia membrorum quotidie aucta marasimum minuetur siue febrim hecticam. Vbi vero per aliquot tempus, quod non in omnibus idem est, perstiterunt, epithelii oris incrassati erosique squamulae crustaeue decidunt et vel cum salivae largius iam accurrentis neque raro cruore imbutae fluxu per os vel deglutitae per aluum egeruntur. Loca vero, quae occuparant, acriter dolent atque aliquando, cum renascentis epithelii simili destructione, novis propululantibus, aliquoties adeo, rursus obseruntur, quarum veluti recidivantium idem decursus est.

Aphthas oris et faucium cum scorbutica humorum dyscrasia in infantibus copulatas rariores esse crediderim. Eas tamen forte occurrentes haud dubie et praecedere debent et comitari oris foetor, maculae cutis coeruleae, ptyalismus cruentus, colorque ipsarum cito satis liuescens. \*)

Cum miasmate venereo denique complicatas siue syphiliticas \*\*), quas non semper licet vel praevidere vel agnoscere, adesse suspicabimur e foetore oris, tegmine mucii albi vel gryfei, proserptu longiori, arrosionibus vicinorum ossium, aliisque cutim, glandulas ceterasue corporis partes afficientibus malis, quae venereo viru infectis familiares sunt.

Malignas denique, rursus in infantibus haud frequentes, prodere debet putridus oris halitus; color papularum flauus, fuscus, cinereus, niger; partium, quas tenent, profundior erosio, signaque febris putridae gastricae vel sanguineae,

B 2

\*) Vid. FRANC. BOISSIER DE SAVAGES Nosol. method. To. II. P. I. Amstelod. 1763. 8. p. 432.

\*\*) DE SAVAGES l. c. ROSENSTEIN l. c. c. 26.



neae, summae virium prostrationis istis copulatae. Vt plurimum vero complicatae aphthae angustis oris fauciumque cancellis sese contineri haud patiuntur, sed vna longe lateque ad partes magis abditas descendunt.

§. IV.

*Aphthae gulae, ventriculi, intestinorum.*

Scilicet similiarum papularum ulcerosarum proventu etiam oesophagi omnisque primae digestionis officinae superficiem exasperari non verisimile forte tantum, verum adeo omni dubitatione certius est. Quanquam enim IONAS SIDRENUS<sup>r)</sup>. Vir Clariss., ventriculum et intestinum tenue aphthis obsideri ex eo negat, quoniam in cadauerum trium, morbis aphthosis enectorum, sectione in his locis viderit omnino nullas: obseruatio tamen ipsius ista, vtut ter repetita, non tam id quod cupit, nimirum in omni aphthis laborante has partes ab ista labe immunes esse, quam potius, quod antea tacite asserui, probat, posse nimirum oris et faucium aphthas esse sine eo, vt reliquus canalis primarum viarum in mali societatem veniat. Verum enim vero obsideri et has aphthis non modo symptomatum comprobatur ratio, verum etiam grauissimorum, illud ingenue asserentium, auctorum confirmant testimonia. Itaque, vt ab his ordiar, Cl. COLOMBIER<sup>u)</sup> aphthas, venereo miasmate complicatas, super ventriculi interna superficie largiter distributas vidit. Excell. STARCKIUS<sup>x)</sup>, qui adeo in narium cauitate aphthas prodiisse comperit,

r) Nov. Act. Vpsal. Vol. III. MICHAELIS *med. Prakt. Bibl.* B. I. S. 16.

u) Hist. de la Soc. roy. de Médec. a. 1779. à Par. 1782. p. 181. *Sammlung auserles. Abhand. zum Gebr. prakt. Aerzte*, B. X. S. 273. f.

x) l. c. S. 147.



perit, in aegris, aphthis laborantibus et de ani pruritu vehementer vrente conquestis albidis quid ad anum obseruauit, quod quin pro aphthis habendum fuerit, non ita multum dubitat. Pari modo, vt alios taceam, Experientiss. VOGELIUS<sup>3)</sup> animaduertit cum aphthis in ore ad anum obuientes et ego ipse testari possum, me matrum de id genus papulis, ad anum exeunte morbo propullulantibus, narratione excitatum rem istam examinando veritati maxime consentaneam, immo vero etiam in pudendi puellarum tenellarum labiis nymphisque gregatim efflorescentes aphthas reperisse aliquoties. Pari quoque modo in imis faucibus, quas lingua non nisi depressa contueri possumus, istiusmodi vlcuscula quum liceat conspicere, quin etiam in profundioribus, ad quae oculorum penetrare acies nulla valet, gulae primarumque viarum canalis reliqui locis erumpere possint, quo certius, praeter allata testimonia, misellorum pusionum affectiones variae significare videntur, eo minus dubitandum esse censeo. Praeterquam nimirum quod infantuli lac, vtcunque et aegrius assuctum, quinimmo latices quoque alios ori infusos sponte in fauces iam receptos deglutire aliquando nequeunt, quin potius statim rursus elabi et effluere patiuntur, singultu quoque post exiguae cuiusvis offulae vel stillae deglutitionem, vtcunque peractam, itemque nausea, vt videtur, et vomitionibus ingestique euomitionibus excruciantur. Quale quid cum crebro accidat vna cum cardialgia et pyrofi et magna praecordiorum anxietate adultis, quorum morbis siue acutis siue diuturnis aphthae accedunt: infantes simili ardore et spasmo gulae corripri admodum verisimile est. Patiuntur quoque haud raro post aluum,

B 3

clusam,

3) I. c. S. 258.



clusam, ventris fluxum nunc sincerum et serosum, nunc chylosum et vere lientericum \*), nunc denique inter tormina, quae ex corporis iectigatione et inquiete et extremitatum ad ventrem retractionibus itemque ex eiusdem obmurmurationibus adesse suspiceris, cruentum, aut vero diversis excretorum coloribus variegatum; vt, ex his malis omnino et digestionis ventricularis et absorptionis intestinalis negotium laesum esse non modo agnoscas facile, sed etiam pro singulari, quae his symptomatis cum salivae, saepiuscule cruentae fluxu intercedit, similitudine eorum originem non melius possis explicare, quam sumtis, quae ventriculum et intestina superficietenus horrida reddant, muscularem ipsorum tunicam irritando conuellant, in fundendis aliquamdiu et ab initio quidem liquoribus digerentibus recipiendisque chyli guttulis vasa ipsorum incrustatione veluti sua arida impediunt, post secessum vero ex locorum excoriatorum vasculis ductibusque glandularum mucipararum excretoriis latius iam patentibus vberiore muci et feri intestinalis profusionem concedant, aphthis; quarum quidem praeterea crustae squamatum deciduae tanta nonnunquam per aluum copia excernuntur, vt in ore omnes natas et per deglutitionem modo in ventrem ductas esse nemo possit serio statuere. \*) Ceterum sicuti in ore primum ortae ad reliquum canalium primarum viarum tractum subinde protenduntur: ita vicissim quoque in intestinis ventriculoque primitus prognatas ad fauces et oris labia

\*) Lienteriam nasci inter alias causas etiam δι' ἑλκωσιν ἐπιπολῆς κατὰ γὰρ τὴν γαστέρα ἢ κατὰ τὰ ἔντερα, συνισταμένην τοιαύτην, οἷ αἵπερ καὶ ἐπὶ τῶν παιδίων αἰ' ἀφθαί καλύμεναι, ἰατρὶ ἔγνωκεν GALENVS Comm. ad aphorism. HIPPOCRATIS Lib. III. p. 22. Lib. IV. c. 12. Vid. Ed. Basil. P. V. p. 261. 268.

\*) Vid. GERARDI VAN SWIETEN Comm. To. III. p. 199. KETELAER l. c. p. 15.

bia usque ascendere posse post Aretaeum <sup>b)</sup> HERMANNO BÖR-  
 HAUVIO <sup>c)</sup> utique credendum est. Neque, si raras oris et fau-  
 cium sunt, paucas etiam tantum internis locis molestas esse  
 putandum est. Saepe enim ARNEMANNVS <sup>d)</sup> se observasse  
 testatur in ore et faucibus rare comparentes, dum in interio-  
 ribus haerent densissimae. Eas vero adeo copiose istuc ob-  
 ortas praecedere solet, ex ROSENSTEINI <sup>e)</sup> doctrina, febris  
 vehemens cum multis deiectionibus, comitari vero inquietas,  
 singultus, lingua perquam rubicunda, vomitus lacteus; emer-  
 gere denique testatur lardacea faucium crusta.

## §. V.

*Aphthae viarum aerearum.*

Aphthas denique ad vias usque aereas diffusas agno-  
 scunt auctores varii. Auctori libri de morbis alterius, quod  
 in HIPPOCRATIS operum collectione extat, id iam innotuisse  
 probari posset videri locus antea a me allatus <sup>f)</sup> quo tamen,  
 cum manifesto pertineat non ad infantum teneriorum, sed ad  
 adultorum phthisi laborantium exulcerationes pulmonales, pa-  
 rum omnino poterit effici. Maioris omnino faciendus est  
 locus ARETAEI <sup>g)</sup> qui simpliciter asserit, faucium ulcera, quae  
 infan-

b) Ἐι δὲ καὶ τοῖσι ἐνδον τὴ συμβαίη πάθος, κοιλίῃ, καὶ στομάχῳ καὶ θώρηκι,  
 ἐν τὸν ἰσθμὸν καὶ τὰ περίθμια, καὶ τὰ τῆ δὲ χωρία τῶ κακῶ ἢ ἀναφορῇ  
 καὶ ἀπερεύξιας. De acut. morb. lib. I. c. 9. Edit. Paris. 1554. 8. p. 10.

c) Aphorism. de cognosc. et cur. morb. §. 984.

d) l. c. p. 25. Iisdem fere idem testatus verbis est GERARD. VAN SWIETEN l.  
 c. p. 105.

e) l. c. c. IX.

f) Vid. supra §. 2. p. 6. not. i.

g) Ἦν δὲ (τὰ κατὰ τὰ περίθμια ἕλκεα) ἐς τὸν θώρηκα νέμονται διὰ τῆς  
 ἀρτηρίας, καὶ αὐτῆμαρ ἀπέπνιξε πνεύμων γὰρ καὶ καρδίῃ ἕτε οὐμῆς  
 τοιῆσδε, ἕτε ἐλκείων, ἕτε ἰχώρων ἀνέχονται, ἀλλὰ βῆχες καὶ δύσπνοια  
 γίνονται. l. c. p. 9.



infantibus maxime infesta sint, penetrare aliquando per arteriam asperam in thoracem eodemque die suffocare, quoniam pulmones aequae ac cor neque odores acres, neque ulcera, neque ichores sustineant, sine tussi et spirandi difficultate. ROSENSTEINIVM §) inprimis symptomata mouerunt, quae aphthis oris faucium laborantes non omnes, sed grauius tantum affecti patiuntur, vt per laryngem ad pulmones excurrentes admitteret. Scilicet vox rauca, tussisque frequens, quae veluti per metallicum tubum aer excuteretur, singulariter clangosa sit; quibus addere possis frequentem sub imminente tussiendi necessitate linguae exertionem, quam cum prioribus symptomatis saepius equidem copulari obseruauimus, et angores suffocationis minitantes periculum. Quamuis enim omnes has molestissimas viarum aerearum affectiones ex faucium gulaeque, neruis cum aspera arteria et pulmonis iisdem vtentium et proxima situs vicinia copulatarum, tumore et irritatione non adeo infeliciter explicare posse videaris: magnum tamen commemoratae sententiae robur conciliari credas eorundem malorum in tot aliis pusionibus, vtut copiosissima aphtharum efflorescentia vexatis, absentia. Reddit quoque perquam verisimilem istam aphtharum sedem tunicarum tracheae pulmonumque internarum, nerueae videlicet intimaque communis cum oesophagi et reliqui digestionis primae canalis ex eiusdem membranae oris propagatio; omninoque indubitata COLVMBIERII, quem iam laudauimus obseruatio de aphthis venereis per omnem arteriae asperae tractum in cadauerum sectione obuiis. Effetque haud dubie saepius etiam in simplicioribus aphthis ingrauescentibus idem repertum, nisi medicorum, sectiones infantum eo morbo extinctorum auide desiderantium votis intempestiua obstaret parentum, cari etiam cadaueris lanienam detestantium, superstitio.

g) l. c.

§. VI.





## §. VI.

*Aphtharum caussae et prophylaxis.*

Cuiusuis aphtharum infantilium generis principium caussamue internam proximam acrimoniam esse arbitror, quae tenerioris epithelii cum subiecta neruea oris partiumque vicinarum tunica nexum soluit et perturbat <sup>h)</sup>. Illud acre vero vel poros anorganicos epithelii intrauit humoribusque, maxime muco MALPIGHII exceptam et vnitum fuit, vel ex succis corporis ipsis acris secretionem quadam natum in ista loca decubuit. In tenellis alumnis plerumque lactis vitiosae indoli <sup>i)</sup> aut corruptioni debetur; id quod non modo agnatum est ab omnibus, tum superioris tum nuperioris aevi auctoribus, sed etiam commouit AMATVM LVSITANVM <sup>k)</sup> atque FRANCISCVM BOISSIER DE SAVVAGES <sup>l)</sup>, vt aphthas infantum, simplices istas, *lactumina* siue *lactucimina* dicent. Potest autem lac optimum in ipso iam alumni, ad mammam obdormiscentis, ore stagnando corrumpi et accescere, eodemque modo, quo fermentum panis cutim rube facit et in pustulas leuat, acore suo epithelium oris et linguae erodere. Idem omnino praestat materies ista alimentaris, quam linteo conclusam ori infantum sub noduli forma eam ob caussam immittunt, vt lactationis subsidium vel vagitus lenimen sit; vtpote quae ex humiditate et calore breui solet cum

h) Quando GALENVS (Comm. in Aphor. III. 24. Op. P. V. p. 262.) monet aphthas oris recens natorum maxime fieri *διὰ μαλακότητα τῶν ὀργανῶν*, caussam praedisponentem commemorat.

i) Accusat GALENVS (l. c.) *τὴν ποιότητα τῆ γάλακτος, ἔχοντος ἕκ ὀλίγον ὀρρώδες ἐν αὐτῷ*; et adiicit *ρύπτικόν δὲ ἐστὶ τῆτο τὴν φύσιν, ὡς τ' ὕδεν θυμασὸν ἐν μαλακοῖς σώμασιν ἐργάζεσθαι τινὰς ἐπιπολῆς ἐλκύσεις*.

k) Curat. medicin. Cent. V. p. 326.

l) l. c. p. 429.

C



cum inuolucro suo, corruptionem contrahere acidam, a qua corruptione, contentis ventriculi deglutito oris latice communicata si quis speret putridam multum abesse, nae is maximo-  
pere falleretur. Acore enim morboſo correptis nil citius ruit in putredinem. Vt proinde ab eiusmodi simplicium, sed etiam complicatarum ortui fauentium aphtharum incommodo immunes feruemus infantes, monenda lactans erit, vt et os infantis frequenter aqua repurget et extergat frigida et vel ab omni abſtineat lactatus inepto ſuccedaneo vel materiem noduli cum inuolucro curet eſſe mundam et recentem.

Optimum lac matris vel nutricis corrumpitur, ſi vel maiori ingeritur in copia, quam quae digeri a ventriculo poſſit, vel ſi in ſordidum et impurum defertur primarum viarum canalem. Monendae igitur matres pariter atque nutrices ſunt, quae ab aphthis defendere cupiunt alumnus, ne nimio lactatu ventriculum eius onerent, neque ingeſti lactis corruptionem acidam ex iſtius viſceris nimio diſtentu vel etiam ex agitatione in cunis, a paſſu rudiori, fieri patiantur. Sordes in primis viis conatas geſtat recens natus; meconium; quas vel coloftri potu conceſſo vel medicamentis abſtergentibus notiffimis clyſmatisque expurgare decet, antequam lac meracius ſugendum offeratur. Alimenta pleraque, inprimis aceſcentia fert cum lacte ne adultus quidem, multo minus infans. Quapropter etiam hoc cauendum, ne pulmentis ſpiſſis farinaceis multoque butyro delibutis ventriculus infarciatur lactentis, idemque eiusmodi infantis, cui mammae non praebentur, ſed lac vaccinum aut caprinum; neque pane martio et hypotrimmatis, vino imbutis, ad ſomnum alliciatur puſio, aut decocto cereuiſiae ouis butyroque condito aliisque id genus delectamentis repleatur.

tur.



tur<sup>m</sup>). Alui obstipatio fordes retinet. Hinc tardam aluum abdominis inunctione, clausam clysmate vel supposito sollicitare decet; neutiquam vero frequenti indulgere vsui medicamentorum, quippe quae viscera digestionis famulantia vel relaxando debilitant, vel stimulando sopiendoue in functionis suae legitimo exercitio perturbant. Sordidum quoque ob digestionem, liquorum digerentium nimia attenuatione laesam, ventriculum et intestinorum canalem reddit perspiratio intercepta. Hinc modicus fatus per lintheamina et puluina sicca ac munda substrata eandem semper expediat, aerque diaetarum infantilium purus, quantumque licet foccus seruetur. Aliquando lac matris vel nutricis, ob alimenta male ab istis digesta vitiosum et acre fit; hinc etiam in alumni ventriculo in acrem abit grumum, cuius non modo corruptus vapor sed etiam resorptus latex ori, faucibus, gulae et omni canalibus cibarii tractui potest infestus aphtharum excitatione fieri. Corrupunt vero lac lochiorum perturbatus fluxus, motus febriles, alui obstipatio, ciborum penuria vel intemperantia, alimenta dyspepta et acria, quorsum et diutius adhibita acida referas; potus parcior, calidus, inebrians, indigestio, vita deses, vigiliae protractae, moeror, iracundia, refrigerium maxime ad mammas admissum, lactatio negligentius administrata vel postquam diu iam nimis protracta fuerat, in nouo infante tenero instituta; immundities, proterua libido, in nonnullis etiam nutricibus male per catameniorum tempora digerentibus, menstrua vteri expurgatio. Quo igitur aphthae ex eiusmodi vitiis imminentes arceantur, audiendus maxime *Celsus*<sup>n)</sup> est, ex cuius consilio *inprimis,*

C 2

*nutrix*

<sup>m)</sup> Vino sopire obstetrices nonnullae solent oppidanae infantulos, baptismo initiandos, ne vagiant. Decocto cereuisiae rusticas obstetrices vix natos excipere nonnunquam, itidem comperi.

<sup>n)</sup> Lib. VI. c. II.



nutrix cogenda est exerceri ambulationibus et his operibus, quae superiores partes mouent; mittenda in balneum, iubendaque ibi calida aqua mammas perfundere; tum alenda cibus lenibus et his, qui non facile corrumpuntur, potione, si febricitat puer, aquae, si sine febre est, vini diluti, ac, si alius nutrici subsistit, ducenda est. Si pituita in eius os confluit, vomere debet. Cauendum est insuper a nutrice plurimum retro infantum, a male morata, a valetudinaria; omnique prudentia vitari decet arteque emendari, quicquid antea diximus prauum lac gignere aut facile corrumpendum. Aliquando iam per grauiditatem opus habet medicus, ut de aphthis, quae suo tempore editam prolem male habere possent, tempestiue praecauendis cogitet. Solent enim infantes eiusmodi matrum, quae gestationis tempore multo ventriculi ardore ex acido morbo diuexabantur, eo morbo, ut Praeses repetito usu cognouit, longe ferre, ac ceteris paribus alii, grauiore deinceps, laborare, ut proinde in examine, quod laetioris nutritionis obtinendae et bonae valetudinis futuro alumno conseruandae causa in delectu nutricis cum ipsa instituitur, inter alia, quae ob cuiusuis morbi, atque adeo ob aphtharum quoque cuiuscunque demum generis et complicationis periculum arcendum quaerimus, etiam de ista malae valetudinis forma, ipsi forte nuper grauidae familiari, serio interrogetur. Quod si a matre sana edito infanti nutrix quaesita est libera a venerea iniquatione, cauendum erit omnino, ne basis forte spurcis cuilibet obuio os infantis contaminare liceat. Dentientium vero aphthas, ut plurimum ex colluue impura primarum viarum, etiam sanguinis serum inquinante, oriundas non alio poteris modo felicius, quam tempestiue datis euacuantibus praecauere.

§. VII.



## §. VII.

*Prognosis et therapia aphtharum infantilium.*

Vbi iam erupuerunt aphthae, aestimanda est ipsarum indoles perpendendumque vel maxime, quae euenire possint, vt iustam deinceps medendi methodum eligamus. Hinc sicuti cum aphtharum aetiologia prophylacticam, ita cum prognosi therapeuticam curam coniunctim pertractabo.

Itaque vbi ex puritate locorum oris et linguae, imprimis solitariis harum partium aphthis interiectorum, ex colore ipsarum subcandido, ex paruitate, ex moderato oris calore, ex eo, quod non profundae sint, et quod infans non omni destituatur somno, adeoque parum dolere videatur, ex febris denique omnisque alius complicationis absentia simplices aphthas \*) agnouerimus esse, si quidem succus ille acer, quem papulae continent, quique stagnando et acrior euadere et spissior fieri vtroque autem modo, scilicet tum irritando tum obturando grauiorem inflammationem et exulcerationem afferre posset, tempestiue cum epithelio remouetur, nullum omnino periculum imminet. Eiusmodi igitur simplices oris aphthas detergi optimum est linteo, etiam, quoties paullo tenacius haerent, rudiori, vel, quod praestat, exasperato sacchari polline, vel imbuto aqua saccharata, citrata, ferrata, succouae expresso rapae, dauci, raphani, aut decocto salviae aut solutione boracis venetae vitrioliue albi aquosa. Praeparant quoque crustas squamasue aphtharum faciliori secessui litus ex melle rosarum vitriolato, forteque succo inspissato mororum dauciue contempe-

C 3

rato,

\*) Ευήθεα μὲν (τὰ ἔλκεα ἐν τοῖσι παρισθμίοισι), ὁκοῖα καθαρά ἐσι καὶ μικρὰ καὶ ἀβασῆ, ἃδε ἐπιφλεγμῶν, καὶ ἀνώδυνα. ARETAEVS l. c.



rato, ope penicilli aliquoties per diem applicitus <sup>p)</sup>). **BUCKINGII** <sup>q)</sup> enim metus de coagulo lactis e papilla sucti per acida nascente vanus est, quando quidem humanum lac acoribus neque vegetabilibus neque mineralibus cogi **BERGII** <sup>r)</sup> pariter atque **VOLTELENI** <sup>s)</sup> obseruationibus confirmatum sit. Quum vero loca ex crustarum deterfione excoriata et cruenta vehementer doleant, blandiendum ipsis erit melle, semperuiui maioris succo incocto vel rosato simplici, vel mucilage feminum cydoneorum, vel oui vitello cum lactis cremore subacto, similibusque demulcentibus. Ultimo etiam locis iam minus dolentibus purisque manentibus robur conciliari decet lenioribus adstringentibus, quae etiam saluuae fluxum moderantur; cui consilio satisfacit rosarum decoctum melle vitriolato remixtum, aliudue simile medicamentum. Quodsi vero deinceps mammae aut potulenta alia nutritia praebentur infanti, semper antea elui et extergi decet os eius aqua tepida decoctoue saluuae aut rosarum, ne vel medicamenta allita papillae vel deterfae crustae infantis ventriculo molestiam noxamue afferant.

Paullo tenacius haerentibus aut aliquoties repullulantibus aphthis vel accedit vel praecessit iam impuritas ventriculi et intestinorum, quae aphthas reddit complicatas atque ex antea allatis signis cognoscenda est. Sicuti enim diaetae dige-

p) Qui veterum medicamenta ad aphthas, satis quidem cum recentiorum istis conuenientia, cognoscere cupit, adeat **CELSVM** L. VI. c. 11. **GALLEN.** de compos. med. sec. loc. L. VI. in Op. P. II. p. 252 sqq. ed. Bas. **ARETAEM** de acut. morb. curat. L. I. c. 9. **AETIVM** Serin. VIII. c. 39. **PAVLVM AEGINETAM** Lib. I. c. 10.

q) l. c. p. 199. f.

r) Kongl. Svensk. Vetensk. Ac. Handl. XXXIV. 40.

s) Obsf. chemicomed. de lacte humano &c. Traj. ad Rhen. 1775. 4. Cap. 1. §. 2.



digestionisque vitia agnoscit chirurgus ex indole fucci, qui ex ulcere profluit, quandoquidem ex sanguine per chylum prauum inquinato nonnisi corrupti humores parantur: ita quoque ad aphthas difficilioris moris faciundas plurimum contribuit inquinatio sanguinis ex primarum viarum sordibus; et sicuti miliarium exanthematum atque aphtharum mirus est in forma et decursu, saepeque etiam in concursu suo in adultis pariter atque infantibus conuenientia<sup>\*)</sup>: ita quoque materiem ipsarum ex eodem impuro canalis cibarii fonte promanare et ad sanguinem dimanare rectissime confido mecum MAXIMILIANO STOLLIO<sup>\*\*)</sup> atque IUSTO ARNEMANNO<sup>\*)</sup> asserere. Nisi vero primis viis sua puritas restituitur, frustra quidem solis laborabitur ad rebellem morbum remediis externis. Istam vero restitunt, et vero simul aphtharum in ventriculo et intestinis ex acris saburrae vicinia nascentium periculum, quod magnum instat, minuunt penitusque tollunt in tempore data euacuantia; vomitoria quidem, quum olens ructus vomituriens et singultientis pusionis corruptam materiem in ventriculo adhuc detineri indicat; quo in casu tartaro emetico aqua soluto nullum medicamen praestat; aluum vero ducentia istis vel praemissis, vel quoties alui faeces corruptae iam prodeunt, aut alui fluxus cum torminibus ventrisque obmurmurationes vrget; omnium lubentissime, ob vim antacidam, rheum cum magnesia vel sapone veneto vel borace commistum et non magna simul sed refracta et per vices repetita dosi datum, cui praeterea in operatione sua vel tardanti

\*) Agnoscunt eandem DAVID HAMILTON Tract. de febr. miliari p. 71. CHRISTIANVS GOTTLIEB SELLIVS Medicin. Clin. Berol. 1783. 8. p. 122. Confirmare etiam potest idem deinceps asserenda Praefidis observatio.

\*\*) Rat. med. To. II. p. 167.

\*) l. c. p. 31.



danti vel languenti adiungere decet vsum clysmatum emollientium. Quod si iam fauces et gulam et asperam arteriam occupare aphthae ex grauissimis, quae commemoravi, symptomatis intelliguntur, suffocationisque periculum minitari videntur in rubefacientium et vesicatoriorum <sup>y)</sup> vfu vnica quaerenda salus est, quibus adiungi possunt, quae vel spasmos leniant vel perspirationem intendant cutaneam cataplasmata imposita pectori et abdomini emollientia, et clysmata, quae suo modo idem cum aliqua nutriendi vi praestent, vsusque tartari emetici vel medicamenti istius sibiati, quod vulgo dicunt kermes minerale; nec non ad deglutiendum oblatæ solutionis boracis aquosae cum pauco melle. Scilicet hac medendi methodo electa non raro infantibus profuisse narrauit mihi *Praeses*, qui aphthis etiam sic purpuram cum leuamine successisse et a repressa purpura vicissim aphthas cum discrimine natas esse obseruauit. Prodest quoque ad aphthas internas gulae, ventriculi et intestinorum, quarum oris aphthas praecurrentium vel comitantium, vel sequentium periculofior omnino indoles est, aut succus raparum assatarum expressus, aut decoctum seminis lini, aut aüenae excorticaetae melle rosato saccharoue pauco edulcoratum, aut emulsio amygdalina, cui gummatiss arabici mucilago addita fuit, cum pauco nitro; aut, maxime vbi omnia dulcia et acescencia exulari debent, vrgente summo acore morbofo, ius vitulinum

y) Vesicatoriorum vsum quidem prorsus reiicere videtur Cl. ARNEMANNVS (l. c. p. 79.) quoniam genio morbi nequaquam respondeant et damna, quae tamen tacet, alia insuper afferant. Sed non satis memor fuisse videtur illius canonis medici: *in summis malis semel tentanda sunt summa remedia.* Ex primis viis, adhuc impuris, vtique nequeunt educere sordes acres; sed e sanguine iam ad nobiliores partes internas confluentem acrimoniam, quo demum modo licebit ab istis, nisi vel rubefacientibus vel vesicatoriis reuellere?





num vel gallinaceum tenue cum oui vitello. His enim medicamentis aut, si mauis, potibus acre aut corrigi, aut inuolui, aphthae abstergi, ardor compesci, singultus, et tormina leniri, fluxus ventris mitigari, sanguis, acrior alias spissusque euadens, blando succo temperari, corpus denique tenellum ali suo modo poterit. Quod si vero obtineri hisce remediis nondum posset, ex lapsu crustarum sub finem morbi accidens dolorosus singultus torminosusque ventris fluxus, lenioribus quoque opiatis, v. c. dilutissima opii puri paucissimi solutione aquosa, quae demulcentibus prioribus admisceantur, itemque modice adstringentibus v. c. corticis peruuiani infuso vel hydromelite rosarum ad gratam aciditatem vitriolato caute omnino utendum est <sup>e)</sup>. Quamuis enim vtriusque medicamentorum generis applicatio noceret vehementer euacuantibus, quae certe tunc locum amplius non habere possunt, ab initio vel prorsus neglectis, vel non sufficiente copia datis: sublato tamen morbi fomite excoariatis ventriculi et intestinorum parietibus demulcentium vsui prudenter interposita egregie omnino poterunt conducere. Sicuti autem flauescencia vel liuescencia vel nigrescencia aphtharum vel habitus earum, isti variolarum confluentium et collabentium crustoso et lardaceo similis cum virium aucta prostratione putredinosam corruptionem vel nascituram minitantur, vel iam natam annunciant: ita in summo vitae discrimine infantem versari nemo non intelligit, et profecto verendum est, ne docta plus arte malum valeat. Neque, si materia impura cibarium canalem magna adhuc copia obsidet, quam vix iam possis aggredi euacuantibus, aliud praedicere licet, quam

e) Conf. BALTH. LVDOV. TRALLEES *Opium vsus salubris et noxius* Sect. III. p. 118 f. p. 271 f.

D



quam fatalem morbi exitum. Si tamen prava saburra minus turgeret, cum clysmatum mox blandientium, mox antisepticorum usu, tentandum omnino erit, quid corticis peruvianii infuso vel extracto soluto, quid emulsionibus leniter camphoratis, quid sero lactis aluminato, quid melle rosarum vitriolato siue ad impura oris ulcera abstergenda, siue ad putredinis gangraenosae internae progressum cohibendum, siue ad debiles vires refocillandas proficere forte liceat. Quinimmo quum nuper SAMVEL HAHNEMANN <sup>a)</sup>, V. Exp. ad anginam gangraenosam et ad ulcera oris tum scorbutica, tum ab hydrargyri abusu nata, vtilissimam sese reperisse narrauerit solutionem lapidis infernalis, millenis aquae simplicis partibus paratam, ceu egregium antisepticum et tonicum remedium, in summo malo, quod aliam omnem medelam respuere videretur, quidni etiam cautissime istius potentissimi medicamenti vires usu externo, quidni forte etiam interno experiri statuamus? Ad venereas certe aphthas repurgandas et curandas, quibus ne ossa adeo aggrediantur, eadem tempestiuitate occurrendum est ac scorbuticis, non veritus est Cl. COLOMBIER adhibere solutionem mercurii corrosiui omninoque simili modo diluto nullum aliud efficacius istas delere, non huius modo viri auctoritas sed repetita quoque aliquoties *Praesidis* obseruatio mihi persuasit. Decoctum vero mercurii viui aquosum, quod ARNEMANNVS commendat, iners est. Ad scorbuticas vero aphthas infantum, vtique perraras, raparum, raphani, cochleariae similibumque antiscorbuticorum succus intus extusque adhibitus multum prodesse vtique poterit. Est tamen et in his complicatis aphthis semper curanda primarum viarum libertas atque puritas, quam etiam crustis sub finem morbi

a) Vid. Illustr. CRELLII *chem. Ann.* 1788. II. 486.



morbi per aluum exeuntibus rhabarbarinis medicamentis procurari decet.

§. VIII.

*Curatio aphtharum remotior et accessoria.*

Quemadmodum vero in vniuersum eiusmodi infantum, qui alio nutrimenti genere, quam lacte materno nutricioe educantur longe est deterior vtplurimum et infelicio conditio, quam quibus blanda mater commodaue nutrix vbera praebet; adeo vt in istis quoque plerumque aphtharum sit prouentus et solemnior et abundantior: ita quoque miseri isti pusiones destituuntur egregio illo beneficio, quo sic beari possunt, vt nimirum ex ipsis vberibus, quae modo sugere possint, non forte lac recipiant medicamentis tantum correctum, sed viribus adeo salutaribus ditatum. Grauius quidem valetudinaria si lactans fuerit, vtique est ab officio isto remouenda, praestatque tum alere infantem aphthosum, nisi nutricem aliam melius valentem habere possis, aut lacte vaccino, aqua vel amygdalino emulso diluto, aut mucilaginoso auenae excorticatae similiaeue cerealium decocto, forte insuper oui vitello remisto. Quodsi vero leuiter forte tantum laboret non ex sanguinis sed ex ventris vitio, vel si adeo sana prorsus sit, conducet insigniter medicatum lac reddidisse in vberibus ipsis, vel magnesia, saccharo, semine foeniculi et cortice aurantiorum flauo conditae, vel rhabarbaro quoque remixtae, vsu interno, cum potu largiore et demulcente. Iubet quoque ROSENSTEINIUS ad dolores infantis ex aphthis mitigandos, vt lactans vtatur Syrupo e Meconio, sumendo quidem, quum mammae vacuae sunt a lacte, ad drachmas duas; quum lacte turgent, ad drachmas tres

tres



tres vel quatuor. Idemque consuluit, vt in venerea infectione infantis ab ipsa forte lactante perpetrata, nutrix materue sub iusto mercurialium medicamentorum vsu papillas in sanationem alumno lactifluas porrigat. Similique prorsus ratione licet in aliis quoque aphthis eorumque symptomatis mitigandis vti ista remotiore et veluti accessoria per lac ipsum curandi ratione. Quo magis vero opus est, vt, quae sana est, nutrix materue lactans, sana quoque et ad lactandum apta conseruetur; eo prospiciendum est magis papillae securitati, ne et ista, vt fit, aphtharum labem contrahat. Id quod non modo cauere poterit frequente lotione papillae ex aqua frigida simplici vel borace condita, qua vltima etiam simplices iam natae papillae aphthae omnium optime abstergentur; sed etiam inunctione, antequam infans admouetur, ex oleo amygdalarum dulcium recentissime presso vel ex butyro non salito, vuarumue vnguento. Sic enim non modo lactans a magnis praecauebitur incommodis, sed lactens quoque, ceteris paribus, eo citius conualescet ab aphthis; neque recidiuae, ex papillae aphthis resugendae incurrere poterit periculum. Multa, vt vel ipse sentio, quibus cordatiores forte quoque desiderare poterunt longe plura, quae dici possint, supererunt, sed fidus consilio de solis scribendi infantilibus aphthis, quas satis puto percucurrisse, libellum finire non dubito.

